

*Alia quorundam bonorum in Rocheta Pelasea
D. Simplici de Calamandrana.*

267

M C C C V I.

Anno Domini MCCCVI., indictione IV., die Mercurii VI. aprilis in castro Episcopali Bistagni, presentibus D. Jacobino marchione de Incisa, D. Ottolino Bacario de Nicia, magistro Alberto Baudezono, & Bonello Joanne Aquensi canonico testibus vocatis, & rogatis. In conspectu Ven. P. Othonis Dei gratia Episcopi Aquensis se presentavit D. Fridericus Simplex de Calamandrana suo nomine, & nomine Henrici ejus fratris petens ab ipso Domino Episcopo sibi suo nomine, & predicti fieri, & renovari investituram de omni eo, quod ipse tenet in feudum ab Ecclesia Aquensi, & ab ipso dicto Episcopo nomine dictae Ecclesiae in Ripacula Pellaseae, vel alibi pollicens se suo nomine, & nomine quo supra, paratum facere fidelitatem Ecclesiae Aquensi, ac ipsi Domino Episcopo nomine dictae Ecclesiae . . . qui dictus Episcopus audita ipsius petitione ipsum D. Fridericum . . . in uno libro, quem manu habebat, investivit . . . in feudum gentile, nobile, & nomine Henrici ejus fratris &c. . . qua investitura facta ipse D. Fridericus . . . fidelitatem fecit, & juravit ipsi D. Episcopo nomine dictae Ecclesiae . . . singula ea facere, quae facere tenetur nomine dicti feudi. Ego Joannes Bestagnus Notarius &c.

Alia bonorum in Cartosio Opicio Mori.

268

M C C C V I I.

Anno Domini MCCCVII., indictione V., die IX. decembris in Cartosio, presentibus Alberto Joanne, & Iacobo Mori de Punzono ad haec vocatis testibus, & rogatis. Opicius Mori de Punzono juravit, & fecit fidelitatem Rev. Patri D. Oddoni Dei gratia Aquensi Episcopo, ejus successoribus de omnibus terris cultis, & incultis, vineis, possessionibus, piazis, castanetis, ruvetis, atque gerbis, quae, & quos habet, tenet, & possidet in villa Cartosii, & ejus posse, confitendo se dictas terras, & possessiones omnes tenere in feudum ab Aquensi Ecclesia, quem Opicius dictus Episcopus cum uno baculo, quem habebat, presentialiter investivit salvo jure Aquensis Ecclesiae, & cujuslibet alterius personae; & inde unum instrumentum, & plura fieri praeceperunt &c.

*Nunciatio operis novi contra praecipuum Episcopi
Aquensis. Deleg. renovatum FF. Praedicatorum
adversus FF. Minores.*

269

M C C C V I I I.

Anno Nativitatis Domini MCCCVIII., indictione VI., die vero XVII. mensis maii in Alexandria. Ego Joannes Squarzacicus syndicus, ac procurator fratrum Praedicatorum de Alexandria, ut patet per cartam factam a Percivalio Questo Notario MCCCVI., indictione IV., die Dominicae . . . mensis augusti, dico, protestor, & de-

nuntio sindicario, & procuratorio nomine dicti conventus, & dictorum fratrum, quod vos FF. Minores laboratis contra denuntiationem novi operis hoc anno, & tempore debitis vobis legitime factam per fratrem . . . dicti conventus, & Fr. indicum, & procuratorem eorundem, & contra privilegia dictorum . . . & libertatem S. Romanae Ecclesiae, & contra praecipuum Domini Episcopi Aquensis Delegati D. Neapolionis Reverendi Legati S. Pontificis tamquam contemptores, & transgressores &c. Ego Mattheus de Arco Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, & hanc cartam . . . tradidi, & scripsi.

*Investitura decimarum S. Juliae D. Thomae
de S. Julia.*

M C C C V I I I.

270

In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCVIII., indictione VI., die XXVIII. maii apud Curtismiliam, videlicet apud domum fratrum Minorum, presentibus D. Othone marchione de Carretto, D. Gulielmo de Bruneto, & D. Belengio Joanne de Aquis ad haec vocatis testibus, & rogatis. D. Thomas de S. Julia juravit, & fecit fidelitatem Ven. in Christo Patri, & D. D. Othoni Dei gratia Aquensi Episcopo, ejusque catholicis successoribus de parte decimae, & decimationis villae de S. Julia, & de massa, quam ipse, & antecessores sui habuerunt, & tenuerunt ab Aquensi Ecclesia, & quae provenire debet pro hereditate Patris ipsius D. Thomae, de qua decima, & decimatione idem Dominus Episcopus per se, & suos successores cum uno baculo, quem in manibus tenebat, investivit cum plenitudine omnis juris &c.

*Alia de decimis Galgani, Bruduni, Verdobii,
Galvazanae, & Carentini, Rufino, & Henrico
Malcalciato, & Oberto Thedixio de Montebarutio.*

M C C C V I I I.

271

In nomine Domini. Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCVIII., indictione VI., die XIX. aprilis apud Aquensem Ecclesiam, presentibus Magistro Petro de Petrazanis Archipresbitero Plebis de Finacio, Magistro Alberto Baudezono Archipresbitero Plebis de Veximo, & Juderto Sburlato de Montebarutio ad hoc vocatis testibus, & rogatis. Ven. in Christo Pater D. Odo Dei gratia Aquensis Episcopus volens praedecessorum suorum vestigia imitari in bonis actibus, ac acquisitum, ac relictum per ipsos thesaurum incomparabile, amicos videlicet, & fideles omni qua potest cura, & solitudine conservare, lecto, & ostenso quodam publico instrumento concessionis, & investiturae in feudum factae in Ruffinum, & Hinracium, Malcalciatum, & Obertum Thedixium de Montebarutio, recipientes pro seipsis, & ipsorum heredibus a bon. mem. D. Gulielmo olim Aquensi Episcopo de decimis, & juris decimationis terrarum suarum, & in burgo nostro in Galgano (1), & de tribus partibus decimae, & decimationis de Territorio de Brudano,